LVSVS MEDICI ORATIONIBVS EXPRESSI

INSVNT

GONORRHOEAE ET CALVITII

ENCOMIVM

Q. CALVI VENEREI

FVNVS INDICTIVVM

ET

EXEQVIAE

Davidson

PARENTAVIT

D. CHRISTIAN. GOTTF. GRVNER

PROF. MED. IENENS. PRIMAR. ORD. MED. SENIOR.

RIDENDO DICERE VERVM

IENAE

IN BIBLIOPOLIO ACADEMICO

1808.

DIVAE VENERIS

CVLTORIBVS

ET

AMICIS INTIMIS

AMORVM MVLTITVDINE CLARIS

VVLNERVM CREBRITATE INSIGNIBVS

MILITIA LASSIS LAESIS CALVIS

MORTI FLEBILI PROXIMIS

S.

PRAEFATIO

Ecce iterum luſus, ſed, vt equidem puto, tempori et loco apti! Ludunt hodie omnes, pueri virgis, vt equites ſtrenui apud commilitones eſſe videantur, ludunt iuuenes, viri, ſenes, amoribus crebris, puellae matronaeque VENERIS furtis, milites rapinis, gladiis, globis ignitis, caedibus, ludunt etiam docti viri ſuo quique ingenio ſuaque ſapientia, philoſophi verbis phaleratis et pythicis, medici ratio-

tione varia, ſubtili, dialectica, chemica, theologi nouis doctrinae formulis, iureconſulti antiqua et obſoleta legum forma, poetae thyrſo. Eheu, quam verum et certum eſt, ludunt hodie omnes, quaerunt ludicra, ſpernunt ſeria! Quidni, dum licet et iuuat, opinioni ſeculi et ſtudiis hominum ita ſeruiamus, vt, niſi argumentis atque praeceptis commoueri poſſint, certe ridiculo compellantur ad deponendos malos mores et mittenda vitia, et tandem aliquando redeant ad veram honeſti contentionem ac ſtabilem corporis animique curam?

Quaeſiiſtis L. B. ſaluusne in turbulentiſſimo rerum ſtatu fuerim, an perditus

tus, paucis rem omnem accipite. Vixi per annos triginta et amplius ſorte mea nec tenui, nec tamen lauta contentus, nullo creditore interpellatus, hinc vulgi iudicio diues, ſalutis meorum prouidus, literarum ſtudiis intentus, doctorum hominum fauore nobilis, exteris notus et acceptus, ſenectute vegeta promtus, ſed, eheu! quam incertus fortunae luſus, quam lubricum felicitatis nomen, quam fallax et inconſtans bonorum poſſeſſio ante obitum eſt! O quam triſtis Octobris (1806.) vrbi et ciuibus memoria! O quam lugubres dies illi mihi, vxori ac liberis ſunt habendi! Vna nox multorum annorum fructus et veteres parſimonias abſtulit, infeſta belli vis, furor militaris, ſacra habendi cu-

piditas, et ignis a tergo proximus me propriis aedibus expulit. Vidi exul media nocte inter nebulas denſas incendia vrbis rutila, audiui ſummo mane ex montium imminentium iugis reboantia tormentorum tonitrua, haeſi per diem integrum dubius et anxius animo, quorſum acies pugnantium euentura ſit, quaeſiui veſperi, fame ac ſiti preſſus, et effuſus inter medias militum ac captiuorum turbas, aliquod effugium, et vix impetraui hoſpitium, cum dominus hinc ſibi nouas incurſiones metueret. Sed quid multa? Data et reſtituta ſecuritate, in domum ſpoliatam, vacuam et deſtructam conieci oculos. Eheu, iam fui pro diuite nudus, pro Croeſo Irus, ſpectator facinoris immeriti, nec in publica miſeria li-

ber

ber ab communi ciuium onere, adſti-
ti quaſi ab fulmine tactus et attonitus,
ingemui, et vix continui lacrumas,
cum doctas chartas humi ſparſas, ſciſ-
ſas, ſordidas, bibliothecam miſere
turbatam atque confuſam, cubicula
caede pecorum foeda, ſumma imis
mixta perſpicerem, tandem, pacato
paullisper animo, vt naufragus ille
philoſophus, exclamaui, cedo fatis,
omnia mea mecum porto! Haec nul-
lius patent imperio, nec ſubiecta ſunt
maleuolorum ciuium iniuriis, vna
ingenii poſſeſſio vbique terrarum certa,
tuta, inacceſſa et perpetua eſt. Ex-
cidat ex animo fatalis et atra dies,
quae nos ad noſtrum larem reuerti
vetuit! Dabit deus et his gentium vi-
ctarum miſeriis finem!

Sunt

Sunt olim (1792.) a me editi *lusus medici*, quibus vitia medicorum pro tempore ac more meo redarguerem, prodiit in vulgus (1795.) *vitae liberae et dissolutae encomium*, vt studiosi literarum publice moniti rubere, ac rudem, incultam barbaramque viuendi rationem deponere discant, en L. B. nouum secessus literarii solamen et malorum lenimentum! En noui lusus, cum scelesta manus ceteras chartas cum nummis vel petulanter abstulerit, vel cruore ac sordibus contaminauerit, vel igni malo conflagrandos dederit! Arguti illi lusus sint, an leues, iam non anxie curo, (mihi enim satis est occupationes muneris et curas ita distinxisse, ne tristium rerum memoria et iniquitas temporum omnem mentis vim ob-

tun-

tunderet) faceti lusus sint, an molles, eandem gloriam, quam seria consecuturi sint, nec ne, id lectorum iudicio lubenter permittendum censeo. Vt enim *summi oratores, summi etiam viri*, auctore PLINIO, *recipiunt amores, odia, iras, misericordiam, omnia denique, quae in vita, atque etiam in foro caussisque versantur*, sic ego academicus, dum noui doctores renuntiandi sunt, iuuenum mores et studia commode redarguere satago, non vsus praeceptis molestis, sed verbis in audientium aures suauiter influentibus. Sic vitia mentis et corporis, tanquam praeclara et laudabilia facinora, ridentur, vt sensim sensimque apud plurimos obsolescant, sic non auribus modo, verum etiam oculis discuntur et

omit-

omittenda, et facienda, ſic iuuenes ſollicitati oratoris arte, conſiliique publici memores primo diuidunt ſententiam, deinde honeſtate ac ſuauitate materiae perſuaſi ad bonam frugem ſponte redeunt.

Hac ego licentia ſeculi vſus, dum mores et ingenia hominum facetiis tempori ac loco aptis perſtringo, pio munere functus mihi eſſe videor. Nam ſi quos viuos nec ſecure de turpitudine corporis monere, nec prauitatem animi corrigere fas eſt, exequiarum ſpecie ac funebri laudatione omnem vitam ſic diſpungere ac recolere poſſumus, vt ſentiant tacite omnes, quid hinc illinc inſtandum, quid fugiendum et abiiciendum ſit, quem in vitae

curſu

cursu probe sequi, cuius vestigia implere debeant.

Sunt hodie multi, quos VENVS maligna male habet, sunt plures, qui post strenuam VENERIS operam caluitie glabra egregie superbiunt, sunt denique plurimi, qui ex diuae castris mutila membra, corporis foeditatem et ipsam mortem flebilem referunt, en imaginem superbi mali ad viuum expressam, sed hinc inde vmbris obductam, ne durus in coloribus, vel immodestus verbis esse perhibear! Has ergo amantium flammas et miserias orationibus meis sic pingere studui, vt iuuenes, viri, senes, tandem aliquando, missis venerum lenociniis, sapere discerent.

Iam

rem mentem retrahe, (occaſio calua, vt domina VENVS, eſt) hoc denique age ſedulo, vt orator ipſe ab iuſtis rerum verborumque arbitris blandus morum reformator, et literarum latinarum iam apud medicos ſeneſcentium reductor probus eſſe perhibeatur. Is enim dum turpes ciuium mores et malefacta vniuerſe ridet ac culpat, de ſingulis non cogitat. Scripſi Ienae Saxonum Calend. Septembr. cIↃIↃcccvII.

CON-

Iam abi bonis aufpiciis, parue liber, in orbem et vrbes, vt profis multis, obfis nemini, caue, quantum eius fieri poteft, ne cui fis obiurgatione afpera grauis, vel nimia laude moleftus, fuge molles Maecenates, flagitiorum patronos, Catones morofos, cinaedos turpes et veteratores pios, (horum enim atria iocis inacceffa, horum palatia cenfori morum fere infecura funt) fed prae aliis inuife cerei et flexibilis iuuenis diaetam. Hic enim non natura, fed malo hominum exemplo inductus ante annos iuftos litat divae VENERI, periculi nefcius, noxae fecurus, damni illati fere impatiens. Hoc iuuenum genus prae ceteris cura, hos in medio vitiorum fcelerumque curfu reuoca, et vel inuitos ad melio-

rem

CONTENTA

I.

GONORRHOAE

PRAECONIVM

Vt in rebus proſperis magna ſapientiae pars putanda eſt, A. ſua eſſe ſorte contentum, fortunae verſabili et volubili multa, ſed non omnia de ſe tribuere, viuere ſibi, ſufficere patriae, ſpernere neminem, fauere bonis, neque humili via famae ſplendorem quaerere, ita etiam bonum virum quam maxime decet nec in aduerſis deſperare ſalutem, nec vereri aſpera caſuum ludibria. Ecquis enim adeo tutus ab iniuria hominum eſt, vt ſine offenſa vitam omnem decurrere poſſit? Ecquis adeo certus rerum fortuitarum et nocentium cenſendus eſt, vt iacula Iouis bruta, ictus calamitatis ridendos, vias fatorum imprudenter negligendas eſſe opinetur? Plena inſidiis vita, beatus ante obitum nemo eſt, A. ni-

 hil

hil nobis a natura datum immutabile, fixum ac firmum putemus praeter animum bonum ſcelerisque purum, nihil nobis ſtatuamus perpetuum ac ſtabile praeter ſcientiam rerum vſu confirmatam. Haec enim bona nullius tyranni poteſtati ſubiecta ſunt, haec non pendent ab imperatorum voluntate ac arbitrio, haec nec fauore aulicorum conſiſtunt, nec minis, pugionibus et rapinis militum patent, nec in ipſo naufragio pereunt. Mens proba, numis et fortunae telis inacceſſa, vbique terrarum a latronibus tuta eſt, vir ſapiens in ipſa mundi ruina ſecum portat opes incognitas plebi, inaeſtimabiles vulgo, incommodas malis hominibus, ſolus is miſer putandus eſt, quem voluptates foedae nuptiaeque ſceleſtae ante annos legitimos perdiderint. Quid enim homine liberali eſt indignius, quam diſſolute viuendo vires corporis temere conſumere, mentem ſcortando hebetare, ac omnem humanitatis ſenſum exuere vitiis peſſimis? Quid abiectius, quid turpius, quid flagitioſius, quam venere nimia,

vui-

vulgiuaga, facinorofa, corpus iterum iterumque polluere, quafique perpetuo rore diftundere?

At vero, A. hae nugae doctae funt, hae ineptiae philofophorum fplendidae, qui virtutem e cathedra, vt dominam, publice praedicant, eamque domi, vt famulam arcani fceleris, inter Laidis amplexus lafciue proftituunt atque profanant. In memoriam reuocate ingenia et mores hominum, infpicite in eorum vitas, tanquam in fpeculum, inquirite rationes viuendi fubductas, quas quisque, fpreto prudentum confilio, recte ac commode fequendas exiftimat, repetite noua morum et politices praecepta, quae ab vtilitate profecta, ab pudenda leuitate animi ac ambitione dictata, plurimum valent ad opinionem virtutis ex hominum animis expellendam, quid, quaefo, in hoc lubrico vitae curfu nobis fupereft, nifi vt alius aliam fibi ad libitum fingat pulcri, boni, honefti et diuini notionem, neque amplius curet

feue-

ſeuera Catonum iudicia? Nihil enim refert deum eſſe credas, nec ne, modo ciuica munera obire, ac vectigalia pendere poſſis, nihil intereſt, caſte, an ſpurce viuas, modo, vt Cocles inſanus, te ſummis vitae periculis pro republica vel rege obiicias, nihil denique prohibet, quo minus vir bonus, doctus, magnus, fortis, ſtrenuus et amabilis habearis, modo ſis ſanguine generoſo natus, vel aulae potentum innutritus, vel mulierum fauore ac patrocinio in ſecretum admiſſus et altiori loco poſitus. In his enim bonum, praeclarum et excellens eſt, quidquid demum egerint vel dixerint, neque quisquam prudens audebit eorum mores, vitia et probra publice redarguere, cum dudum apud nos praua, inhoneſta et turpia eſſe deſierint. Hos ſtrenue imitari cum maxime laudi ducitur, hos cominus intueri, admirari, ſuſpicere, colere, honori ſummo eſt, hos vitae moderandae duces, hos fortunae praeſides, hos praeclaros amorum magiſtros ſequi fas eſt. Sic itur ad aſtra, ſic celebratur fama!

Hac

Hac perſuaſione dulciſſima fretus, hac communi hominum opinione ac licentia vſus, a Vobis, A. veniam peto, eamque me habiturum ſpero, ſi iam hoc in conuentu ſollemni *gonorrhoeae praeconium* ita verbis exornem, vt ea placeat omnibus, ſi ego medicus, cui nihil indecens vel indecorum eſt, quod hominum corporibus acciderit, iſthoc VENERIS dominae ſpolium, vt rem excelſam ac votis omnibus expetendam, ſollemniter collaudem, ſi rem omnem ita peragam, vt Vos ipſi hoc in fluore ſuauiſſimo, blandiſſimo, lepidiſſimo, non quandam famae turpitudinem, ſed laudabilem naturae inſtinctum et indefeſſam virium praeſtantiam cognoſcatis. Jam ergo adeſte animis, fauete linguis.

Eſt hoc quaſi hominum mentibus inſitum et cultura ingenii ſatis confirmatum, A. vt quisque de ſe ſuisque rebus perlubenter ac liberaliter diſſerat, nihilque bonum, praeclarum, excelſum vel magnificum exiſtimet, niſi quod vel ipſe fecerit,

vel

vel bene ſenſerit, vel vſu et conſuetudine expertus probauerit, quidni idem illud ius amantibus et laſciuis obtinere liceat? Etenim

militat omnis amans, et habet ſua caſtra Cupido,

nullus conflictus eſt ſine vi ac noxa corporis, nulla datur pugna ſine vulnere, nullum committitur proelium ſine iactura virium et membrorum mutua, ideone dedecoroſum eſt amatoribus, quos furta VENERIS delectant, ſuas numerare clades, ſuas gloriari victorias? Strenuus et imperterritus miles ab imperatore in caſtris praetoriis ob rem praeclare geſtam magnifice laudatur, miles ſtrepitu armorum clarus et vulneribus multis aduerſo pectore notatus publice ad imitandum proponitur commilitonibus, nonne is, qui diuae VENERIS caſtra ſequitur, eodem vtatur priuilegio, iisdem fruatur honoribus? Plures ſunt corporis laeſiones, quas nepotuli venerei ſtrenue ludentes ab amica

acci-

accipiunt viciſſimque reddunt, at vero iam abeant illa praeclara inſignia et trophaea, ſatis eſt nobis collaudaſſe gonorrhoeam amabilem.

Quaeritis, A. quae quidem illa ſit? Cur, amabo, Vos ſubito ſingitis rei tam optatae et delectabilis inſcios? Cur pudicitiam Vobis primam, et adulteria clandeſtina prorſum ignota eſſe mentimini? Video enim inter Vos permultos mulierum ſectatores, multos amaſios, multos VENERIS commilitones, multos in caſtris dominae laudabiliter ſaucios, et colore oris gonorrhoico ſatis ſuperque proditos. Non eſt pudor referre inauſpicatos naturae impulſus, non eſt ignominia dicere membra, quae ſalubrem corporis impotentiam pepererint, hinc accipite rei ac mali nomen longe accommodatiſſimum.

Eſt vero *blennorrhoea* vel *gonorrhoea* mucoſus mentulae fluor, ſenſu ſuauis, titillationi libidinoſae affinis, voluptatis impru-

prudenter decerptae index ac interpres, idcoque magis dicenda videtur moleſtia corporis, quam morbus. Quod ſi nobis, nemine refragante, datur atque conceditur, eſt profecto *gonorrhoea* legitima amoris proles, eſt genuina concordiae et amicitiae veneteae filia, eſt res priſcis quidem incognita, et nuperis ſeculis clam importata, vt opera Anglorum vetita, ſed vero omnium mercium longe *praeſtantiſſima*: Promouet enim corporis animique commoda. Mentula dolet, ſed grata tamen eſt congreſſus amatorii memoria, mentula plorat, at vero ſuauiter tollit peccata carnis, mentula male turget, ſed expellit tamen humorem morboſum, abſtergit partem affectam et mundat, vſuique amoris futuro ſalubriter aptat, eamque ob cauſſam gonorrhoeam praeſtantiſſimum valitudinis recuperandae praeſidium appellare licet. Si, auctore HIPPOCRATE, optima corporis conſtitutio periculoſiſſima habetur, ſi habitus athleticus, plenior, ſpecioſior, coloratior, teſte CELSO, non poteſt diu conſiſtere, neque

que vltra progredi, ſed fere retro, quaſi ruina quadam, reuoluitur, magnae profecto vtilitatis futuram putemus eam vacuationem, qua blanditer exceptum amoris virus ſponte propellitur, ex obſcuro loco in publicum exit ſine vi atque iniuria, et metuendas corporis calamitates ſine vllis expenſis, ſine vllis remediis commode anteuertit: Excuſſo humore corrupto, redit protinus membrorum vigor, firmitas corporis et conſtantia virium ſcilicet.

Eſt etiam A. *gonorrhoea* res *modeſtiſſima.* Quid enim in ſocietate ciuili modeſto homine acceptius, quid amabilius, quid honorificentius putandum eſt? Solet vero ille ſibi ſolus ſufficere, non gloriari de alienis, non magno honorum et titulorum comitatu incedere, at enim eadem modeſtiae et manſuetudinis laude exornanda dulciſſima gonorrhoea eſt. Mentula male ſe habet, ſed ſua ſorte contenta manet, mentula vehementer inflammata tumet, vrit et torquet, at vero ſenſus veneris malignae labris

com-

compreſſis minuitur, mentula male tenditur chorda venerea, at iſta veteris gaudii nuncia pro adiumento mali eſt, mentula crebris amoribus laſſa, debilitata, auſis lapſa, turpiter caduca et braccis laxis concluſa humum demiſſe ac prudenter reſpicit, humoremque acrem patienter deſtillat, aeger vero peccatorum probe conſcius et ſolitudinis amans non amplius graſſatur in mulierum pudicitiam.

Eſt *gonorrhoea*, A. res *conſtantiſſima.* Non enim ſubiacet amantium precibus, non votis aegrorum mollibus flectitur, non mouetur blando mulieris alloquio, non tollitur furentis militis minis ac gladio, non grauibus emiſſarii verbis in melius abripitur, non fugatur ſubitis medicorum formulis. Suo tandem tempore ac ordine iſthoc profluuium longe iucundiſſimum leniter decurrit ad metam, expulſo loci affecti ſtimulo, vel ſponte quieſcit, vel cito ſedatur medicamentis leuiſſimis.

Eſt *gonorrhoea*, A. rerum omnium *fortiſſima*, omnique poteſtate humana ſuperior. Si quis enim iſto exornatus praemio atque praeclaro decore inſignitus ex diuae Veneris caſtris redierit, circumcirca videt plurimos commilitones ſaucios, aequali corporis labe contaminatos, intra ſe de praeliorum exitu triſti murmurantes, et pugnae ſingularis impatientes, at ille magnanimus et lepido Hunteri praecepto impulſus ad priſtina gaudia redire nititur, vt puellae innocentis ſinu ſe reſtituat, ſed virium impotens ipſo auſu deſtituitur.

Eſt ergo gonorrhoea cenſenda aequa meritorum index, ſtrenua malorum vindex; Etenim more tyranni promiſcue dominatur in hoſtes victos ac ciues, infirmos cogit dura iuſſa exequi, nudos mandatis obligat, neque dimittit eos liberos, niſi ſacramento interpoſito, vt ad ſigna et vexilla Veneris dominae armati ac viribus bene confirmati proxime redituri ſint.

Eſt

Eſt *gonorrhoea*, A. *humaniſſima* et *liberaliſſima domina*, a partium ſtudio aliena, beneuolens omnibus, fauentior nemini, aequabilis in ſuos cultores, parcens hoſtibus, inſeparabilis aulicorum ſocia, militum vmbra perpetua, doctorum ſubtilium patrona, plebis proteruae fautrix, fida pauperum comes, ideoque omnium bonorum alma parens, arctae amicitiae nutrix tenaciſſima fidiſſimaque exiſtimanda. Ecquis enim eſt tam excors atque imprudens, vt in glorioſa huius diuae tutela per omnem vitam eſſe nolit? Ecquis adeo ſtultus et vanus eſt, vt oblata valetudinis redintegrandae ſpernat atque reiiciat beneficia? Imitatur vero gonorrhoea munifica blandam matronae honeſtae indolem, quae ſuas pupas baſiando vlnis excipiat, ſuis molliter blandiatur, ſuorum fortunis proſpiciat, mala imminentia ſuauiter arceat.

At vero habet gonorrhoea ſuas inſidias, fraudes, prauitates, noxas, habet ſua detrimenta et incommoda! Eſto, ſed haec

illa

illa ſunt perpauca, ſunt aegris ſalubria, ſunt denique omnium iucundiſſima. Quicquid enim aduerſarii et hoſtes huius profluuii pretioſiſſimi attulerint in contrarium, ſumma tamen ei vtilitas, ſuauitas, voluptas atque liberalitas ineſt. Quas virtutes laudabiles ſi cum ceteris corporum malis comparaueris, ea profecto eſt omnium leuiſſima, placidiſſima, liberaliſſima. Etenim illa non alligat aegrum lecto, vt mala phthiſis et febris peſſima, non impedit ac contrahit pedes, vt dura podagra, non vrit et vrget affecta membra, vt rheumatismus, non ſtupefacit feſtiuum caput, vt lethargus grauis, non praeſtringit oculos, vt ophthalmia, cephalalgia, vertigo caduca, ſed prudens *mali* honeſtiſſimi *deceptrix* apud vulgus nominanda videtur. Patent cetera corporum vitia oculis hominum auidis, at vero intus latet gonorrhoea, velata, vt pudica virgo, occulta, e conſpectu omnium ſublata, et ſoli medico, vt myſtagogo, aperta, eiusque verbis fictis apud curioſos placide mollienda. Marcet aeger, quid inde?

de? Infirma et phthifica matre natus eſt. Pallet ille, hoc vero nihil eſt: Amat forte bellam lepidamque puellam, ac eius amore clandeſtino conſumitur, forte libris doctis interdiu ac noctu adeo inſudat, vt ſibi temperare nequeat. Foedus luteusque color cutis et oris illi ſubeſt, at vero iſthoc ſignum eſt lubricum: Vehementer enim laborat praecordiis. Immundum cernitur induſium, contaminatur bracca liquore fuluo, atqui vero iſthoc ſymptoma non tanti habendum exiſtimemus, quanti cenſores morum duri et inexorabiles Catones decreuerunt. Quid? ſi ſomnio ſuaui et ludibrio noctis tactus ſe circumcirca polluerit?

Eſt A. *gonorrhoea* longe *fertiliſſima* morbi forma. Virus amatorium ſe molliter inſinuat intra haſtatam et iam ab opere collabentem mentulam, vt clandeſtina voluptatis ſuauiſſimae pediſſequa, hinc inde gliſcit per meatus occultos, afficit glandulas mucoſas, ſtimulat membranas, concitat et auget ſecretionem humidi, ſed ita, vt

natura

naturam prolificam vniuerſe ac perpetuo retineat. Sit gonorrhoea ſimplex, ſit venerea dicenda, nihil profecto refert, ſemper tamen inſitae naturalisque formae adeo tenax eſt, vt eundem morbum omnibus beneuole affricet, et hinc ad plures tacite propagetur, ſimili prole gaudens, vt matrona caſta vnoque viro contenta. Reſtat denique A. hoc in corporis vitio dulciſſimo maximum et portentoſum naturae miraculum. Vir enim amans gonorrhoeam nobiliſſimam ab femina, at vero femina lepida ab mare in complexu recipit, neque iſta vis inſita et naturae propria, mutato caelo, prorſum diffluit, vel omnino perit, quo demum cunque pars cariſſima diſceſſerit. Omni enim terrarum orbe ſexus alter alteri clam ſimiliterque iſthoc formae praeſidium et corporis bonum, quod inter amplexus dulci ſinu acceperat, reddere non dubitat.

Eſt *gonorrhoea continentiae commendatrix*, *otii* liberalioris *cultrix*, *pietatis* ſincerae *magiſtra.* Nolite mirari A. iſta

paradoxa et insolentia verba, credite medicis rei tantae tamque praeclarae peritis, redite in memoriam aegri sacris gonorrhoeae initiati, deinde rem omnem ex aequo et iusto iudicate. Erat is nuper frequens feminarum adsectator et comes, iam fractus corpore, velut luxato, solus et tristis in cubiculo ambulat, poenitens vitae pristinae, cupidus noui consilii. Erat nuper popinarum et ganearum grassator, vt amoribus et adulteriis crebris in omni vrbe inclaresceret, iam domi haeret, vt sanctus eremita, sorbitione medica damnatus. Erat nuper scortator comtus, veste serica et fimbriata indutus, nepotulorum more delinitus vnguentis fragrantissimis, vt cupidis puellis doctisque matronis perplaceret, iam coma demissa, barba horrida, bracca laxa et parte viri profusa contentus est, et hircum turpem ac medicamenta olet odiosa. Erat quondam vectus per vrbem insigni equo et rheda deaurata, vt in conspectu omnium esset, vt luxu Persico et splendore Luculliano admirationem sui apud omnes faceret,

vt prae aliis idoneus et carus mulieribus esse videretur, iam sibi modeste viuit, iam suo languori agit gratias, et, spreta vulgi opinione, valitudinis restituendae curam gerit maximam. Erat nuper egregie largus, sui profusus, cupediarum deliciaruinque amans, rei carae et pretiosae percuriosus, vt lecto aetherio fotus ac recreatus iaceret, et gaudia noctis suauissima maximi redimeret, iam parcus, egenus, auarus est, et mercatorem intus agit totum in rationibus putandis, ineundis, subducendis, idque peragit commode foribus reclusis, ne quis durus et importunus creditor clam adueniat. Erat olim vetularum et lenarum adsecla strenuus, vt ex commentario sibi virginis esset deflorandae delectus et matronae cuiusque tentandae copia, iam est rei venereae abstinens, cautus in periculis, prudens ad consilia: Est enim funerata ea pars corporis, qua quondam erat ACHILLES fortissimus.

O praeclarum gonorrhoeae donum, o inaestimabilis diuae VENERIS liberalitas! Tu

enim, alma parens, furorem iuuenum, licentiam virorum, auiditatem ſenum iuſte perdomas, tu voluptatum illecebras fortiter reprimis, tu cupiditates effrenas potenter contines, tu inſanos et prodigos ad bonam mentem et morum caſtitatem egregie redigis.

Eſt *gonorrhoea otii* liberalioris *parens* et *cultrix*, illudque amoris ſpolium longe maximum ac ſplendidiſſimum apud omnes exiſtimandum eſſe cenſeo. Videtur enim gonorrhoicus eſſe maxime otioſus, cum in cubiculo, tanquam cuſtodia et carcere detentus, quiete ſedeat, et tamen in otio iuſto minime otioſus eſt, ſed tempus vmbraticum callide ludit, totus in libris legendis verſatur, ſibi ſalutique ſuae anxie proſpicit, experimenta in proprio corpore agit. Iam enim deſiit eſſe Epicureus, et ſubito factus eſt grauis Stoicus atque ſummus phyſicus, vt naturam mali bene perſpiciat, iam factus eſt chemicus, vt miſtionem muci et viri profluentis reagentibus rebus apte detegat, iam factus eſt per no-

ctes

ctes inſomnes aſtronomus, vt ex poſitura MARTIS et VENERIS verus fons et origo fluoris amatorii aperiatur, iam attendendo cruces et miſerias corporis proprii factus eſt medicus expertus, vt in poſterum viſa morbi erudite commentetur, iam factus eſt orator facundus et diſertus, vt dolores ſuos et delinimenta VENERIS deſcribendo commiſerationem audientium habeat, iam factus eſt propria experientia ſcriptor morbi blandiſſimi eximius, vt olim ſtrenuus eques HVTTENVS, vt miſere vexatus GRÜNBECKIVS.

Eſt *gonorrhoea* potentiſſima *pietatis magiſtra*. Bene noſtis A. mores et ingenia peccatorum, qui, ſiſti coepta laſciuiendi licentia, deum eſſe, flagitiorum vltorem et vindicem, magnam eſſe religionis et conſcientiae malae vim, vt ſero ſapientes Phryges, vltro citroque profitentur. Dolet gonorrhoicus, ſed poenitet facti, dulcia olim meruit, iam patienter guſtat amara, mentula improba, nolente ac inuito domino, ſtricta, tenſa, ad venerem para-

ta arrigitur, at ille dedidicit amoris fallentis incitamenta, ſcincum marinum, electuarium diaſatyrionis, pulueres laetificantes Galeni et tincturas aphrodiſiacas, fuit olim ſolutus luxu, fuit vino et epulis lautis oneratus, iam ſibi cautus a miniſterio Veneris temperat, vt aliquis e ſacro cucullatorum collegio, et libens abſtinet omnibus ludicris, vili ac tenui ptiſana contentus, olim luſit puer elegans, et vixit clarus adulter, iam gratias laſciuas et veneres molles procul abeſſe iubet, iam deſinit quaerere voluptatem robuſtam, cui quam maxime impar eſt, iam quaeuis irritamenta cupidinum miſſa facit, vt ſobrietati morumque caſtimoniae proprio periculo doctus ſtudeat. Aduolant ſerui venerei ſtrenuique combibones, vt ignes nouos fracto ſubiiciant fraterculo, is vero moleſtam crapulam ſimulat, mentiturque malum ſtomachum, inſtant et vrgent illi cauillatores, offerunt pocula coronata, ſiſtunt ante oculos illecebras amorum blandas et lenonias, is vero tentantibus pectus obiicit triplici aere munitum, et *per-*

permanet immotus, tanquam Marpeſia cautes. Saepe noſter ſtrenuam nudatamque militiam exercuit, iam eam ludicram, indecoram, illicitam et turpem eſſe exiſtimat. Saepe haſtatus ſtetit, victoriasque glorioſas, vt imperator VENERIS ſummus, iterum iterumque reportauit, iam luget penem languidum et perpetuis amoribus oppreſſum. Ille olim paſſus eſt ab conflictu mutuo crebras corporis animique noxas et recidiuas malorum flebiles, iam per deos deasque omnes, per IOVEM, ſcortatorum principem, per VENEREM diuam furtiuis amoribus claram, per Muſas furti cupidas, obteſtatur et iurat ſe nunquam cum falſis, impuris et vſurariis feminis rem eſſe habiturum.

O miram, o ſtupendam, o irreprehenſam gonorrhoeae nobiliſſimae vim atque praeſtantiam! Date A. iuueni laſciuo iſthoc mentulae vulnus illaetabile, date militi prurienti et flagranti hoc fluoris gratiſſimi inſigne, et vterque illico laſſus, fractus, imbellis, inermis ac famae pudore ſuffuſus e proelio diſcedet. Date puellis

virorum cupidis, date voluptariae mulieri ſinum lacrumoſum, triſtem venerei luſus indicem ac proditorem, et illico deflagrabit pudenda cupiditas ſcilicet. Nihil enim ad ſtimulos veneris exſtinguendos potentius, nihil ad ardorem voluptatis reprimendum aptius, nihil ad mores iuuentutis bene informandos certius, nihil ad vitae integritatem reuocandam praeſtabilius gonorrhoea clariſſima, humaniſſima, modeſtiſſima eſt.

Vos ergo, commilitones, gonorrhoeam illuſtri ſtirpe nobilitatam, claram diuorum ſobolem, excelſis atauis genitam, et quaſi per traducem nepotulis venereis traditam, ne temere ſpernite, ſed ſumma honorate reuerentia. Quaerite amaſias, et committite pugnas, (nam per liberaliorem hominum ſententiam, per maiorem ſeculi noſtri licentiam, legibus bonisque moribus obſiſtere fas eſt) at cauete ſedulo, ne vulnere indecoro notati hinc diſcedatis, ſectamini caſtra diuae Veneris ſine fide ac pietate, vt milites fortes decet, ſed agite, vt velites, ne crimen turpitudinis ac famae notam perpe-

petuam incurratis, abiicite faſtum ſublimem et ſpiritus altos, vt haſtati, vt principes, vt triarii in exercitu venereo eſſe laboretis, (ſunt enim poſita in inſidiis turpia Veneris trophaea) denique, o iuuenes praeſtantiſſimi, ſi boni, ſi bene morati, ſi mente vegeti, ſi viribus corporis validi ac integri, ſi futurae ſalutis et connubii durabilis prouidi eſſe cupitis, fugite, o fugite quam ſtudioſiſſime amores vagos, inconſtantes, promiſcuos, meretricios, (non enim tuto creditur ripae) fugite, o iuuenes cariſſimi, mulieres arte amandi claras, amoribus callidas, et corrumpendis moribus egregie inſtitutas, ne flos corporis animique decor ante tempus infringatur, redite, donec res eſt integra, ad doctos libros, ſecuriſſimum perpetuae et bonae famae praeſidium, ne poſt ignes turpes, poſt pugnas illaudabiles, poſt impudica certamina, liberis educandis alimenta ſubminiſtrare iubeamini. Sin vero, ſpretis bonis conſiliis, vobis potior ſalus in venere vulgiuaga quaerenda et ponenda videtur, res veſtras cum

gonorr-

gonorrhoea dulciſſima agite feliciter, ſed prouidete tamen ſedulo, ne aliquando, ſi ſerum eſt, verbis PACIFICI MAXIMI Priapum, veterem ſcortatorum patronum, flebiliter precari cogamini:

Tu meum, ſi non properas ſanare priapum,
Decidet: Heu, non hoc nobile robur erit!
Ante meis oculis orbatus priuer, et ante
Abſciſſus foedo naſus ab ore cadat!
Non me reſpiciet, nec me volet vlla puella,
In me etiam mittet triſtia ſpara puer.
Laetior, heu, toto me non erat alter in orbe!
Si cadet hic, non me triſtior alter erit.
Me miſerum! Sordes quas marcidus ore remittit,
Vlcera quae foedo marcidus ore gerit!
Adſpice me miſerum, precor o per poma, per hortos,
Per caput hoc ſacrum, per rigidumque trabem,
Hunc ego commendo tota tibi mente, Priape,
Fac valeat, fac ſit ſanus, vt ante fuit.

II.

CALVITII

ENCOMIVM

Si quid eſt, A. ſummis votis et ardentiſſimis precibus a deo immortali expetendum, certe nihil datur in omni vitae curſu optabilius, nihil homini praeſtantius atque praeclarius bona integraque valitudine. Ecqua enim ſalus durabilis ſperanda, ecqua felicitas exoptanda videtur, cum corporis membra dolor vehemens vrit atque fatigat, pes turpiter claudicat, impedita vel demta ſpiratio ſuffocationem miſero minatur, et caput carum ita conſtringitur, vt omnis integritas et conſtantia mentis penitus pereat? Haec enim male habitat, ſi corpori male eſt, haec libera, excelſa, ſublimis, deo proxima eſſe videtur, ſi quisque ingratus partium ſenſus procul afuerit. Eſt nobis, A. inſitus-ſirmiterque ingeneratus bonae valitudinis amor, eſt dulciſſima corporis

ris integri cura, eſt commiſſa nobis eius tutela naturae beneficio, eſt denique poſteris quam maxime venerabilis priſcorum religio, qui bonae menti, pietati, virtuti, pudicitiae, fidei, ſpei, clementiae, ſaluti, concordiae, libertati, fana et ſimulacra conſecrabant, vt cuique viro bono pia ſupereſſet ſupplicatio, at vero A. haec inſtituta priſca, haec praecepta antiqua et obſoleta, haec verba ſunt vana et irrita, hanc veterem ſapientiam prudentiores periculo facti dudum deſpicere didicimus. Omnis enim vitae ratio ita inſtituenda eſt, vt, quae probantur in aliis, facere ipſi velimus, et probatam experimentis elegantiam morum vel cultus in exemplum moderationis iuſtae intueamur.

Quae vero eſt literato viro beatitas cenſenda, ſi corpus eius magnas athleticorum vires ab ſaginis habuerit, ſi exercitio crebro membra valida et lacerti robuſti, ſi declamatione perpetua latera firma ſint, ſi ventris proiectio et moles immenſa, ſi pon-

dus:

dus cum bono habitu grauiſſimum factum fuerit? Non placet amplius iſta ingens et moleſta corporum ſarcina, iam dedecet iſta gladiatoria membrorum firmitas, qua mentis vigor et agilitas hebetatur, et ipſa con. ſcientia eliditur, iam habetur labor quisque improbus, qui ſpiritus aethereos immoderatius exhaurit, iam ſuperflua et inutilis iure meritoque iudicatur multiplex ciborum potuumque copia, quae ſapientiae amantes intentioni ac ſtudiis acrioribus inhabiles reddit, quid ergo, A. in hoc rerum opinionumque lubrico faciendum eſt? Nihil profecto, niſi vt tandem aliquando nos ipſos noſcamus, vt falſa expellamus praecepta de bonis et malis, vt magno abiiciamus animo vitia ingeſta et corporis firmandi vitaeque prorogandae praeſidia, quae nupera medicorum ambitio ſcripſit. Sic enim feruntur homines ad praua et peruerſa, ſic aguntur ciues in praecipitia! Nihil profecto iuuat membra ambulatione ſtrenua, ſaltatione ludicra, geſtatione commoda, curru ſplendido, equis phaleratis et quauis

arte

arte docta ſic concutere atque percellere, vt vires hinc paullo fluxiores ac imbecilliores fiant.

Abſint iſta fallacia, ſpecioſa, inſidioſa et aerumnoſa bona, A. ſequamur tandem aliquando meliora vitae moderandae conſilia: Potior enim ſalus et ſumma hominum beatitudo in membrorum leuitate ac debilitate corporis inuenta eſt. Haec enim mollis et infirma conſtitutio, medicis nouis recte iubentibus, normalis omnium dicitur, haec circumſcripta virium poteſtas, haec cutis artuumque laxitas, haec oculorum concauitas atque profunditas, haec digitorum tenuitas crurumque gracilitas, ita comparata et conformata eſt, vt ad ſenſum hominum liberaliter educatorum plurimum valeat. Nemo noſtrum hac aetate tam inelegans atque imprudens eſt, vt ore ſpecioſo, rubro et turgido puellas ruſticas imitari, toroſa ceruice ac ventre prominente priſcos Germanos ac ſaginatos praedii conductores referre, pectore quadrato

et

et hirſuto pugiles firmos repraeſentare, Her-culeisque humeris delicatulos homillos per-terrefacere audeat. Tranſiit iſta corporis robuſti gloria bonis ſub auſpiciis, abiit, eua-ſit iſta peruerſa maiorum opinio, euiluit iſta patrum perſuaſio, ridiculae ſunt apud omnes iſtae pulcritudinis praeſtigiae et nu-gae ſollertiſſimae, exceſſerunt demum iſtae verborum phalerae, vt quaedam peſtes homi-num, vrbe ac Europae cultioris finibus! Iam omnium communis factus eſt ſubtilis corporum habitus, qui radios ſolis pelluci-dos et facile recipiat, et viciſſim reddat, iam placet ſpiritus venere tenuis et triſtis pallor amantium, quibus oſculum vnum, vt olim Charmoleo, duobus, vel vna nox in lecto aetherio transacta tribus talentis conſtiterit, iam bella exiſtimatur macies cor-porum larualis, quae cutim contractam et eminentia genarum tubera ſtupentibus oſten-dat, iam vmbrae hominum leues, aridae, exſuccae, exſangues, torridae, pedibus facetis ac cruribus mollibus per vicos et compita ſe aegre trahunt, et ciuium omnium

admirationem ſummam habent. O quanta eſt rerum hoc ſeculo facta conuerſio! O quam excelſa temporis noſtri felicitas! O quam amabilis libertas ſcelerum data! O quam ambitioſa liberi a praeiudiciis animi praeſenſio!

Hac fiducia populari confirmatus A. non vereor, ne vobis turpe videatur pro re olim foeda et ridicula, iam vero excellentiſſima et vrbano homine digniſſima publice verba facere, hac proſpera rerum et opinionis publicae commutatione incitatus non timeo cauſſam inſolentem et ab priſtina conſuetudine abhorrentem ſerio atque paullatim defendere, ideoque, quaeſo, a vobis peto, vt mihi *caluitii laudes* peroranti detis veniam huic loco accommodatam, vobis non moleſtam, omnibus auditu facilem. Quod ſi mihi in hac lubrica defenſionis ratione a vobis tribui, dari et concedi ſentiam, veſtra humanitate ac patientia ita vtar, vt in poſterum et vobis, et bonis ciuibus caput nudum, depile, radici-

dicitus detonſum, glabrum et ad cutim vsque laeuigatum non dedecori et ignominiae, ſed ſummo eſſe ornamento et honori perhibeatur. Praebete mihi aures faciles, placidam mihi facite audientiam.

Erat olim mos viris grauibus crinem prolixum alere atque effundere, ſine vllo artifice quatere, ſpargere, rarius obliquare, vel modo ſimplici ſubſtringere, erat ſumma inde a priſcis temporibus promiſſae barbae apud viros, comtae cirroque criſpatae comae apud mulieres reuerentia, vt, qui talia commenta negligeret, homo turpis ac diſſolutus haberetur, erat ſub Caeſaribus Romanorum tantum crinis diſpoſiti, fului, tincti et in gradus formati ſtudium, vt molles miniſtri diligentia ingenti et calamiſtro cultum ac ornatnm varium adhiberent, et comam illuminatam auri ramentis diſtinguerent. Solebant etiam magnae auctoritatis viri capite tecto et bene crinito in vulgus prodire, vt maior ab eius velo elegantia et honos praecipuus

 apud

apud omnes eſſet, ſolebant homines belli et delicatuli ſummam primae lanuginis curam habere, doctasque capillorum ſpecies ita digerere, vt ne quis rectiori coma inſignis criſpulis temere miſceretur, ſolebant denique feminae, quae formam oris et ornatum corporis excolebant, crines gerere molliter pexos, ſuper humeros eleganter fluitantes, belle intortos, acu gemmea nexos, nodo vinctos, redimiculo ſplendidos, vt iſta compoſitione docta oculos et cupiditates virorum ad ſe attraherent, et, vt paucis multa complectar, placebant iuuenes barba comaque nitidi, ſuauior erat puellaris forma ab capillo digeſto, pectine explicato, vnguentis delibuto, contra foedi, ſpurci ac ſordidi homines habebantur, quibus capilli hirti, horridi, intonſi, incomti, impexi, ſciſſi, demiſſi et ſine ordine ab humeris defluebant. Tantum enim decoris et capitis cari ſtudium eſſe credebatur, vt vel ipſi docti et clari viri tumidum philoſophorum faſtum riderent, qui barba non caeſa, ſqualida et implexa praeclari, magni

ac

ac venerabiles apud vulgus eſſe vel videri cupiebant.

Noſtisne A. acerrimum illud Hebraeorum puerorum dicterium, huc adſis, bone calue? Sed quid inde? Mittamus illa obſoleta petulantis linguae conuitia et probra, cum fata neminem mortalium per omnem vitam illaeſum, et extra fortunae ictus poſitum transmittere ſoleant, diſcutiamus iſtas cari capitis delicias, iubas criſpas captionesque crinium ludicras, abiiciamus anxiam formae et lenocinii curam, et, vt homines temporum, opinioni communi ac loco prudenter inſeruiamus, cum aduerſus tam potentem et explicitum ciuium furorem nihil philoſophia valeat. Iam enim omnia in vrbe ac orbe facta ſunt commutabilia, venalia, fortunae procerumque arbitrio commiſſa, iam virtus, pudor, innocentia, honor, fama, iurisiurandi religio, veritas, libertas, dignitas, vana ſunt nomina, iam vaga voluptas ab omni parte quaeſita vniverſis ac ſingulis ciuibus ſine pudore probatur,

batur, iam vulgati corporis vilitas et proſtitutio cenſetur affabilitas, comitas, elegantia, iam decori et honori ducitur corpus habere ita luxu maceratum tenuatumque venere, vt luminis inſtar clariſſimi egregie ſplendeat, atque inſtar cornu pellucidi niteat, nec digitus leuis aſpero tactu molles feminarum manus laedat, iam in laude ſumma eſt virum nec ex genis, nec ex capite oſtendere, ſed mento imberbi et laeui puerum, vertice glabro ſenem maturum ante annos referre, iam licet nobis talem hominis ſpeciem, vt exemplar cultus magnificum, ad imitandum ſumere atque proponere, qui pectore molli, ceruice imbelli, dorſo depilato et crure gracili hinc illinc, tanquam elumbis et ebrius, vacillet. Ideone, A. cum talis omnium ciuium ſenſus ſit, et in ipſo inceſſu appareat expreſſa vitae membrorumque mollities, tanti putemus fluentis capilli deformitatem et corporis nudi probra, vt hinc aliorum riſus et iocos illiberales muliebriter metuamus?

Exulet ille, ſi natali loco amplius morari

rari nolit, abeat, ſi cum iuſto domino in posterum viuere ac ſeneſcere recuſet, tranſeat in perpetuum, ſi poſſeſſori nobili dicam ſcribere audeat, pereat iſthoc bonum corporis aduentitium, leue, fugax, quod natura homini alendum ac fouendum mandauerat, neque vero eius fuga generoſo altori turpis, vel dedecoroſa curatori formae eſſe poterit. Aeger enim febrem acutam paſſus ſibi praeclare plaudit, ſi capite nudus, implumi lepori et homini Platonico perſimilis, ex grauiſſima valetudine ſaluus euaſerit, at tamen ille ſine vlla famae macula diſcedit; puerpera a partu exſurgens lectum mollem cum comae denſae longaeque iactura ita dimittit, vt ei amicae omnes ſuauiter condoleſcant; phthiſicus a medicis deſperatus et conclamatus mortem imminentem ac praeſentem ſic exſpectat, vt ne triſtes quidem verticis exuuias illi cum cadauere macro relinquat, quidni idem capitis ornamentum fluxum atque caducum in iuuenibus ac viris feſtiuis admiremur? Quidni interualla comae lucida laudibus ſummis

apud

apud omnes efferamus? Hunc enim exitum certum ac meritum clari VENERIS amici habuerunt, haud ignari vel bello inexperti ſumma facinora incipi cum periculo famae, gloriae, vitae, mortis, ſed laudabiliter fieri atque peragi cum praemio et dono facti ſplendido. Ingenioſa VENVS diua eſt, A. ſuccurrit audentibus, adiuuat fortes, nunquam deſtituit laſſos viribusque fractos, tandem pugnaces et ſtrenuos conuenienter coronat. O quam digna culti numinis merces, o quam glorioſa eſt caluata amantium caluaria!

Quid, amabo, in capillorum caſu foedum, quid in glabri hominis vertice turpe, quid in capite belle depilato vel male galerito irriſioni accommodatum eſt? Nihil ego, ita me Veneres omnes ament! video. Iſta enim formae pulcritudo ab experimento ſuauiſſimo nata, hoc capitis ornamentum pretio inaeſtimabili datum atque redemtum eſt. Quot partium vulnera ſunt, tot corporis inſignia, certiſſima virtutis praeclarae

clarae operaeque ſtrenuae indicia, quot floris decerpti veſtigia ſunt, tot inſcripta VENERIS dominae ſigna eminent. Fluunt capilli molliter pexi, nos vero non moramur caduca et inertia capitis praepudia: Facilis enim iſta iactura ſepulcri viuis eſt. Vertex glaber galeaque naturali priuatus apparet, at vero nihil refert: Non enim amplius opus eſt ad eradicandos pilos vel vnguento ſacro, vel tonſoris profani nouacula. Os ſuperum in adoleſcentibus ac viris maturis ita nitidum ac politum eſt, vt ebur album et orbiculatum, vt vitrum ſplendens et cryſtallum pellucidam referat, ſed hoc etiam nihil eſt: Sic enim poſt mortem corporis non deſideres anatomicorum operam et induſtriam, vt ex aqua molli maceratum et inſolatum demum exalbeſcat, ſic viui hominis capiti inſcriptum graue illud decretum eſt, memento mori! Ceruix ſine crinibus nuda eſt, occiput ſine caeſarie longa translucet, vt cucurbita pumice laeuigata, ſed eſto: Habet et vulſa coma ſuas veneres, habet rara ſuas delicias. Vt paſtor gregarius raripilum

capra-

caprarum ouiumque pecus miratur et laudat, vt venator, arboribus tempeſtate radicitus euerſis vel caeſis, ſiluam vacuefactam blanditer ridendo adſtupet, atque noua ſatione reſarciendam curat, vt gubernator, naufragii certus, quidquid ſeruari poteſt, iactura leui redimit, vt victor excelſus poſt pugnam acerrimam militum ſuorum paucitate non erubeſcit, ſed pulcrum diem et agmina lucida ſummis praeconiis cenſet extollenda, ita non minori laude ac gloria digna in iuuenibus laſciuis virisque lepidis putanda eſt capillorum raritas capitumque nuditas: Ceciderunt enim illi Veneris caluae cultu et ſtudio, iam ſua cuique facies et forma data eſt.

Neque vero, A. haec capitis politura magnifica, haec glorioſa voluptatis amatoriae nota ad ſolos viros pertinet, verum etiam feminae hunc ornatum et cultum corporis habent peregregium: Innumerae enim hodie caluae ſunt matronae et virgines, nocte deponunt capillos nexos ac fuco ſplendidos

didos, et capita cara molesto ac superuacuo pondere exonerant. O quam praeclarum luxuriae donum et amoris documentum caluitium est! O quam iusta et laudabilis munerum VENERIS aequatio! Notissimum celebratur HIPPOCRATIS, maximi medici, praeceptum ab vsu et experientia ductum, „*pueris, castratis, feminis, nec capilli fluunt, nec pedes laborant podagra*„ notior rei huius ratio est“ *at illae venere abstinent*„ sed, o tempora, o mores! iam bonus senex in mendacio prehenditur. Exuta feminae natura, communi facta virorum vita et licentia, etiam virilibus tentantur et afficiuntur morbis. Adsunt illae heroinae intempestiuis conuiuiis, noctes nobiscum peruigilant, et crebram animarum mixturam faciunt, strenue potant, multo mero viros prouocant, ingestum ore reddunt, fortiterque, vt fortes decet, haustus multiplicant, bacchantur, vt bacchae, in viis publicis, et hortis, atque cum viris canunt lasciue inter pocula coronata, iocis lepidis et oculis venustis amasios aucupantur, et suas nundinantur

vene-

veneres, quid amplius, A. vetera, inutilia et falſa capitum decora ſtupeamus? Aequales vitiorum communitate viris, ſolutae crebris deliciis, fractae intemperantia ſumma viribus, ſexus ſui beneficium dudum perdiderunt, at vero crinibus naturalibus puellae et vetulae per luxuriam deſtitutae fictitia coma etiam viris auidis placere didicerunt: Dulcis enim amantibus indies nouata et adultera venus eſt.

Adeſte beneuoli et fauentes, A. redite in antiquitatis memoriam, et rem longe magnificentiſſimam mecum admiramini. En, quaeſo, adſpicite Iovis optimi maximi ſtatuam, is vero ſtrenuus feminarum adſectator et raptor capite nudo exſplendeſcit! Reſumite trucem et bellicoſum Martem, at ille egregie tumet adſcito caliendro, ne quis labem capitis foede contractam illico dignoſcat. Arripite hanc Veneris dominae imaginem, ecce Venerem caluam, corpore toto expolitam, ſutili ac textili capillamento inſignem! Rapite vinctum Cvpidi-

NEM-

NEM, aſtutum deorum hominumque tyrannum, ecce ille fidus VENERIS comes et adſecla nec barbam habet, nec capillos canos, nec nudus amor amat doctum formae artificem! Videte deos deasque omnes furtiuis amoribus claras, neque vero illis omnino deeſt iſthoc inſigne capitis glabri praeclariſſimum. O iam ſalue, blanda calvities, cara diuorum ſoboles! Iam ergo, A, magno et forti animo contemnamus iſtas lepidi verticis opes ac dotes comae perituras, et nos diis ſingamus imitando digniſſimos.

Adfer, puer, libros numarios et ſtatuarios, explica Caeſares, oſtende auguſta capita ſine coma, ſine caeſarie ſplendida. Adſpicite A. hancce TIBERII, callidi tyranni, effigiem, qua nihil eſt pulcrius, nihil comtius, nihil excelſius. En praegracilem et incuruam hominis proceritatem, faciem vlceroſam et medicamentis interſtinctam, os diſſimulationis plenum, oculos laſciue proiectos et limos, cicatrices a tergo infinitas et ſtupris pubis ingenuae comparatas, viti-

ligi-

ligines albas ceterasque impreſſas cuti plagas, et prae aliis nudum capillo verticem, nobiliſſimum ſeceſſus Capreenſis ſpolium! Intuemini hunc CALIGVLAE vultum, o quam diuinus is eſt colore pallido, ceruice gracili, capillo raro, circa verticem nullo, dorſo hirſuto! Tollite hoc Caeſaris CLAVDII ſimulacrum, o quanta in bona ſtatura eſt capitis tremuli, deſtituti et emendicatis capillis adſperſi deformitas! Efferte iſtam NERONIS, tyranni crudeliſſimi, imaginem, o quam elegans homo ille eſt, o quam clarus lupanaribus et diuerticulis graſſator, o quam inſignis corpore maculoſo et foedo, calua nuda! Attendite hunc GALBAE nummum, ſed is imperator praecaluo capite omnibus adeo notus erat, vt ne miles improbus illud truncatum capillo prae caluitie arripere potuerit. Accipite hunc DOMITIANVM, callidum ſceleris diſſimulatorem et doli machinatorem expertum, coma in adoleſcentia nobilem, in aetate prouecta deformem caluitie, ac obeſitate ventris crurumque gracilitate admirabilem, videte

dete iſtum OTTONEM, vxoris ſuae moechum, vulſo corpore, galericulo propter capillorum raritatem belle adaptato, vt grande oris dedecus et inſolentiam formae tegeret, miramini hunc OPILIVM MACRINVM, caluum tuberoſiſſimae frontis moechum, denique reueremini hunc Graecorum imperatorem, THEOPHILVM, nudo vertice ac edicto clarum, ne quis ciuium comatus principem forma corporis antecelleret. O quam illuſtris et generoſa, o quam ſplendida depilium Caeſarum familia eſt! O quam digna capitis glabri excelſitas, cui caelum decernatur! Iam ergo coma fluxa et penitus euulſa inter ſidera ſplendeat, iam ergo caluities ſancta, lucida, magnifica, in terris ſemper et in perpetuum vigeat! Sic enim hominibus nihil capillorum natiuorum ſupereſt, in quibus decerpendis, ſi quando rari ſuccreuerint, vel reſtituendis, ſi diſiecti fuerint, vel belle aſſuendis, ſi defecerint, tonſor ſedulus horas multas operoſe transmittat, ſic olim nulla cani capitis cura, ſic nulla reuerentia rugoſae cutis in poſterum haben-

habenda eſt. Non enim adſunt vlterius albi vel ſictitii, quos pigmento doloſo artifex inficere, vel medicus decolorare audeat, nec amplius opus eſt, vt SEIANVS aliquis ad caluorum amores in ſpectaculis deridendos vtatur raſorum puerorum miniſterio: Pulcrum enim ſine crinibus caput eſt.

Erat nuper A. apud aulicos et elegantes homines in honore ſummo capillamentum fictum et cincinnis longioribus ornatum, quo calua vel male capillata, vel gummoſa commode tegeretur; erat in vſu apud clericos et ciuiles galericulus adulterina coma factus, quo ceruicem impudicam et tempora lurida obuclarent, vt bene celati ganeas et adulteria noctibus obire poſſent, ideoque ille a BENEDICTO, pontifice ſummo, grauiter interdictus; erat quoddam hominum genus carum lepidis pueris atque puellis, quod ab cirro et ornatu capillorum lucrum ſibi faceret egregium, et turpitudinem capitum arte docta quam comtiſſime comaret, at vero illa formae commenta,

menta, quae feculi noftri eft felicitas, liberalitas atque praeftantia, dudum ex animis hominum tranfierunt. Communis belli per omnem Europam diftufi furor, peruagatus omnibus terris flagitiorum fcelerumque amor, praeclarum nouarum rerum ftudium, hos cinaedorum greges apud nos dudum deftituit, hos cirratos et calamiftratos homines quam maxime ridiculos fecit, perfonamque capiti caro detraxit, hos crinium concinnatores vnguentis fordidos, hos artifices egregie puluerulentos et faccarios in militiae difciplinam dedit, ne fine digno artis ludicrae praemio in caftra decederent. Sed quid multa? Abiit, euiluit, obfolevit, defiit, A. ifthoc capitis decus adfcitum et mercato cultu proditum, exceffit ifta capillorum tortorum rabies, fubiit grata tonfi ac decurtati pili negligentia, vt habitum et faciem ferui ad remos damnati a fuperis patienter accepiffe videamur. Quid tum? Non amplius probatur iuuenis, qui capillorum deceffionem arte vel votis mendicare cupiat, ridetur fenex, qui fpecie

D for-

formae vana se minorem natu, et caput pilosum dolose fingat. Sequamur ergo atque colamus omnes caluitiem nobilem, quasi honestius atque splendidius sit, quod plures intemperanter faciunt, aestimant, admirantur. Denique opinio publica eos iubet acrioribus facetiis perstringere, qui vel comam pexam ac vnguentatam polline cyprio leuiter adspergant, vel orbem verticis nudum callide tegant, vel capillos veros cultu falso mentiantur. Si communi sententia placet aulicis, ciuibus vniuersis ac populo caput nudum, horridum, incomtum, si feminae lepidae crinibus ad cutim vsque tonsis exsplendescunt, et vertice caluo ac cano viros aucupari gestiunt, si pueri, iuuenes, viri, senes, sine coma amabiles, si milites truces sine caesarie clari, sine cauda torta et comta martiales esse perhibentur, quidni paullo impensius laudemus ac omni imitatione exprimamus eam formae praestantiam, quae tam egregiis magnorum virorum exemplis recepta, nobilitata et probata est? O praeclara ingenia, o capitula lepida, quibus

nec

nec pilus vnus in vertice, nec naturalis formae ſpecies ſupereſt! O quam belluli homines, quibus ob nobiliſſimam glabritiem nec crines veri, nec emta merce ficti amplius in calua ſedeant, ſupereminèant, ſupercreſcant!

Quaeritis, A. vnde venerit iſtud diuinum Glabrionum caluitium, nec immerito. Atqui vero eius origo eſt longe honorificentiſſima, eſt lux natalis pereximia, eſt ille ſplendidiſſimus capitis decor munere VENERIS partus, fotus, nobilitatus. Habet enim ille excelſa et illuſtria ſtemmata, oſtendit in cenſu pallidos maiorum vultus crine radicitus depulſo, vertice tonſo, iactat claras matronarum nobilium tabulas, in quibus et formam corporis iunceam, et oculos profundos, et genam concauam, veneris immoderatae indices, et omnium maxime caluam putidam ac galero piloſo tectam admireris, quid, quaeſo, prohibet, quo minus talia tamque excellentia elegantiarum exempla in omni vita conſtanter imitemur?

Sic enim bona cum venia coram Lepidis male viuere, ſic cum pompa et plauſu vitiis communibus inclareſcere, ſic ſine invidia et pudore cum improbis ſapere licet, ſic bellam mixturam facit cum prudentia forma delectabilis, ſic nobiliſſimus capillorum fluentium ſplendor ac decor ab omnibus bonis omni opera et omni ſtudio recolendus, ſic iſthoc militiae venereae viaticum quam citiſſime rapiendum eſt, cum perraro quisquam erga bona ſua adeo cautus et prudens ſit, vt ne quid fortunae opinionisque publicae arbitrio de ſe committere debeat.

Atqui vero laudatur armata militia, etiamſi cum vitae diſpendio, periculis multis et fortunarum iactura veniat, ſummis effertur encomiis militia togata, clientum tutrix, reorum patrona, libertatis oppreſſae vindex, ſed haud raro auctoribus ſuis perniciosa, ideone inhoneſtos, turpes ac infames eos exiſtimemus, qui venerea militia praeclari, amoribus perpetuis probati, ſuas

noxias,

noxias, ſuas calamitates et cicatrices, ſua etiam vulnera, vt eximia corporis decora, publice oſtenderunt, et a cladibus belli ſuauiſſimi caluam ſeruarunt quidem integram, ſed capillos omnes glorioſa pugna perdiderunt? Ideone imbelles, inermes et inhabiles mulieribus viros eos habeamus, quibus vertex eſt cucurbita laeuior, quibus crura longe gracillima, poplites minus validi ac firmi ſunt? O viros prae ceteris ingenioſos, qui, cum non inguina, non vires vllas habere videantur, vxori quartas, meretricibus decimas dederunt! O homines bellos ac lepidos, qui ſibi in militia Veneris dulciſſima adeo indulſerunt, vt ne pilum quidem pignori dare, vel comam adulterinam pro fumo vendere poſſent! O beatos et fortunatos nos omnes, cum tandem aliquando tam inſignia naturae mutatae bona magnifacere, tam ſplendida amorum ornamenta et praemia iuſte aeſtimare, colere, reuereri didicimus!

Non

Non eſt, A. calumnia maligna prae admiratione ſumma exclamare, o quam eleganter caluus ille eſt, cui nec comas fictas mittere, nec ſuas etiam ſumere, nec de ſingulis ordinandis in conſilium ire licet! Non eſt cauillatio friuola et iniuſta pro adfirmatione dicere, is vero ne pilum quidem ad fidem bonam interponendam habet, nec capillum paſſum et circum caput negligenter reiectum, vt lugentis morem referat, non eſt dicacitas mordax, ſed luſus feſtiuus et facetia liberaliſſima publice profiteri, ſalvus mehercle ille eſt, cum nec capillum, quo in iudicium trahi poſſit, amplius in vertice nudo offerat, nec moriens aliquem affigendum foribus relinquat. Militauit ille per annos ſtrenuus in diuae VENERIS caſtris, decoxit luxuria corpus, exinaniuit vires, amoribus crebris, iniuſſu dominae galeam capitis praecox perdidit, ſed ſine famoſi iudicii nota ſecurus abiit: Dulce enim eſt digito demonſtrari, oculis omnium requiri, vultu diſtingui, et ore vulgi celebrari, ecce, hic ille eſt, quem nec forma, nec fama mentitur.

titur. Amauit ille in partem voluptatis clandeſtinae admiſſus puellas nubiles, matronas nobiles et feminas quasque in ſtupro virorum compertas, ſed comam tortam et comtam cum laude ſumma poſuit, eamque viuus Diti ſacram eſſe voluit, diſceſſit ille iterum iterumque victor praelio, ſed leui VENERIS vulnere tactus, vt fundi dulciſſima per omnem vitam reliquam ſupereſſet memoria. O ſalue bonis auſpiciis, ſalue praeſtantiſſime! Regias enim poſſides opes, claro diuorum caeſarumque cultu exſplendeſcis, neque tibi opus eſt, vt aliquando moriens totam corporis ſepulturam ab amicis roges, vel horridam menti barbam et capillos capitis denſos ponere MERCVRIVS cauillator iubeat. O ſalue iterumque ſalue, ſenex amoribus ante annos defloccate! Sic enim comati capitis gloria cum fama caduca tranſiit!

Vos ergo, A. qui eſtis auidiſſimi manſurae poſt mortem gloriae, ab his diuae VENERIS nepotibus magnificum formae, ho-

noris,

noris, fortitudinis ſtrenuaeque militiae exemplum vobis ſumite. Quod praemium vt promte riteque adſequamini, omnia vobis et veſtro praeſtate genio, prouocate deliciis Maecenates molliſſimos, curate corpus ſedulo, ne viribus deſtituatur idoneis operi, facite bellum ventri perpetuum, explemini epulis, comeſſamini mane, poſcite a meridie pocula immania et pontificalia, date veneri operam aſſiduam, eſte, vt fortes ac ſtrenuos decet, tantorum virorum imitatores digniſſimi. Sic vobis cirratis breui aderit nobiliſſimum, excellentiſſimum, ſplendidiſſimum formae decus, caluitium, vt lucrum amorum et diſſolutae vitae vtiliſſimum, honorificentiſſimum, magnificentiſſimum, ſic vobis eleganter caluatis ac nudis nec deerit mulierum mollium plauſus, nec aequalium ciuium admiratio, nec perpetua poſterorum memoria. Bene vixit, A. qui, vt habeat aliquid in commune, tempori et opinioni hominum cum gloria ſeruire didicerit, praeclare ſtetit, qui puer, iuuenis, vir, ſenex, militiam

VENE-

Veneris dominae fortiter fubierit, et luculentus inter ftrenuos cum lucro iufto pugnauerit, demum cum laude ac fama nominis fumma morietur, quisquis veftrum aliquando e diuae Veneris caftris tenuatus, macer, glaber ac derafus Plutonia regna intrauerit. Is enim ad inferos ne pilum quidem, leuem profecto farcinam, adferet, quem Charonti duro et auido pro portorio fixo reddere poffit. Iam vero macti virtute veftra, faluete iterumque faluete, calui praeftantiffimi! Abite laeti ac contenti fpolio Veneris clariffimo, abite vacui ab peccatis, valete animis, corpore, viribus, atque res veftras, amores veftros et conflictus dulces in pofterum fine capillis agite feliciter.

III.

Q. CALVI VENEREI

FVNVS INDICTIVVM

Leto datus eſt, ciues, tribus abhinc diebus Q. Calvvs Venerevs, patricius, militia togata et armata clarus, amoribus crebris in vrbe nobilitatus, puellis matronisque carus, egregie ſtatutus, puſtuloſus, recaluus, et apud poſteros meritorum vulnerumque ſama in aeuum memorabilis. Vixit, quoad per fata licebat, tribunus divae Veneris praeſtans ac ſtrenuus, defecit in amicorum complexu et oſculis, abiit ab vitae ſtatione naturae decreto, Veneris iuſſu, anulo detracto, ocellis preſſis, maxilla correcta, membris compoſitis, corpore loto et vncto, ore polline oblito. Iam veſtibulo iuſte collocatus, et lecto ferali impoſitus, toga indutus alba, corona laurea cinctus, floribus lacte florentibus ſuauibusque conſperſus, exſpectat pompam fune-

funebrem, ramo cupreſſi ad fores poſito. Efferetur funus ex aedibus, et ducetur hora poſtmeridiana tertia, praelatis facibus atque cereis, tubicinibus clangentibus, praeficis naenias canentibus, anteductis maiorum imaginibus, ibunt poſt filium moerentem ac lugentem primi ſenatores, veſtibus pullis, vultu habituque ad moeſtitiam compoſito, deinde ſequentur amici atque commilitones venerei, poſt vniuerſus populus atratus, cui eſt commodum ire exequias. Conuenite omnes ac frequentes, proſequimini funus, ſpargite flores, ite lenti vsque ad forum: Laudabitur vir bonus, lepidus et praeclarus pro roſtris, poſt reliquiae in monumento patrio reponentur. Quo vbi ventum erit, et pronunciatum a praefica nouiſſimum verbum, ilicet, vos ei placide defuncto ſummum vale dicite, ac fati ſerius ocyus imminentis memores hinc ad proprios lares recedite. Haue pia anima! Sit tibi terra lèuis!

IV.

IV.

Q. CALVI VENEREI

EXEQVIAE

Si quod in humana vita màlum trifte, lugubre, ominofum, fi quod fatum in ferie rerum indeclinabile cenfendum eft, A. nihil profecto grauius, nihil afflictius, nihil flebilius morte immatura exiftimemus oportet. Etenim vitae vfura nobis cum conditione data, cum exceptione mortis permiffa eft, ferius ocyus eo difcedemus, vnde non datur reditus. Viuimus laeti ac hilares, fed fato communi fic conformati atque conftituti, vt fingulis diebus ab interitu, tanquam ab linea vltima, propius abeffe videamur, fruimur bonis praefentibus, fed vtimur iis tantum iure naturae ad tempus, vt re aliena et mutua. Quae proxime futura fint, quae capiti caro immineant pericula, quam propinqua nobis fedeat atque inhaereat dies poftrema, prorfum ignoramus.

 Difcur-

Discurrit, inopinantibus nobis, vita, quam aeternam putamus, a calcibus ad metam propositam, patent vndique ad citandam mortem viae multae, breues, faciles, repentinae, vrgent ac instant nobis praeter morborum agmina innumeri exitus, luxuria, nequitia hominum, ferrum, laqueus, aqua, ictus, casus, bella truculenta, consumuntur interdiu et noctu corpora occultis rerum nocentium stimulis voluptatumque illecebris, et opinione citius sonat tristis populi vniuersi vox, o quam totus homuncio nihil est!

Abiit, discessit, transiit e conspectu et oculis ciuium Q. CALVVS VENEREVS, vir antiquo genere ortus, et ad praeclara quaevis natus, militia togata, armata et veneria insignis, pugnis lasciuis et cladibus apud omnes clarus, cecidit ante tempus fessus crebris amorum vulneribus, exstinctus morte praematura, dignus prae ceteris, cui per fata dura diuae VENERIS castris diutius interesse liceret. At enim ille miles rara pietate

ac

ae fide meruit, iam vero cum ſumma laude occidit, neque loco et certamine ante ceſſit, quam feſtiuis CVPIDINIS telis ictus et confectus viribus omnino deſtitueretur. Perdidit patria ciuem egregium, perdidit dulciſſima puellarum cohors virum ſtrenuum, perdidit cupidus matronarum coetus clarum adulterum, perdidit populus hominem elegantem et luxurioſum. Etiam lugent et moerent iſtum caſum granem ac flebilem nepotuli venerei, quibuscum erat coniunctiſſima morum venerumque communitas, Vos etiam luctu feſſi, A. homini ſummo, vrbano et faceto, conſobrino, amico, malorum ſocio, eheu! e viuis abrepto ſuprema hodie ſoluitis, ac iuſta exſequiarum pie facitis. O praeclaras et caras lacrumas! O dignum funere leſſum! Erat is nuper in deliciis et amoribus populi vniverſi, iam ad inferos rediit triſtes et immites ſedes cogniturus, erat nuper is praecipuum decus et ornamentum vrbis, gloria patriae, praeſidium familiae, patrocinium VENERIS, carum feminarum propugnacu-

 lum,

lum, grande venereorum exemplum, ſinus, portus atque refugium, iam, poſitis exuviis, nihil nobis reliquit, niſi magni nominis patrimonium et famae celebrationem.

Adeſte, A. adſpicite has Q. CALVI VENEREI, hominis lepidiſſimi, reliquias, cognoſcite corpus miſeriis multis pallidum, libidinoſis vigiliis emaciatum, plagis crebris compreſſum, cicatricibus foedum, tabo ſolutum, et luctu iuſto afflicti pronunciate, o ſors fati duriſſima! O indigna malorum rabies! O quam caduca et peritura eſt hominum gloria, quam fluxa honorum dignitatumque ambitio, quam vana munerum et officiorum magnificentia morte maligna comparanda!

Haec enim ſunt victarum venerum inſignia, haec militiae infructuoſae finitaeque praemia, hic triſtiſſimus amorum finis, hoc tandem virus lentum vulneribus infuſum ſupereſt! Quid ergo? Militat quisque amans, donec paribus laſciuiis ad cupidi-

nem et faſtidium locus eſt, quaerit iuuenis largiora ſtipendia, poſtulat veteranus maturam miſſionem, expoſcunt omnes miſeriarum modum, ac ſaeuienti VENERI ſubmittunt quidem corpora, non animos, vltimo demum actu oſtendunt ictuum notas et cicatrices foedas. Sed ſi tot caſus vita ſuperauit, ſolae ſuperſunt amicorum lacrumae, quibus mortui voluntas memoriaque conſeruetur, ſola reſtat pereunti ſpes certiſſima, fore, vt, ſi grauem et immeritam vim depellere, ſi neceſſitatem imminentem praeuenire non licuerit, ſuum cuique decus, ſuam merentibus gloriam grata rependat poſteritas.

Quod dum mecum reputo, A. non vereor, ne mihi dicenti ac celebranti Q. CALVI VENEREI laudes egregias, dotes mentis ac corporis praeclaras, facinora lepida et digna VENERIS ſpolia beneuoli, faciles, commodi adeſſe, atque ſermonem triſtem, ſed huic loco et tempori aptum ſilentio graui adiuuare dedignemini. Hoc enim mihi, hoc amici veſtri manibus debetur, hoc vnum eſt, quod in hoc conſeſſu lugubri a Vobis enixe peto atque obteſtor.

Eſt

Eſt inter omnes ſatis ſuperque notum in pace ſpectari rerum cauſſas et merita, in bello innocentes ac noxios homines furore communi iuxta cadere, rariusque inter armorum ſtrepitus atque tumultus adeſſe iuſtos ac aequos iudices, qui rumoribus vagis relinquant tempus, quo ſenſim pedetentimque ſeneſcant, qui contemtu opinionis vulgaris facta hominum ſine ira et partium ſtudio aeſtiment, qui in dubia rei cognitione ſententiam non dicant, ſed accuſatorum furorem et linguae proteruiam reprimant, atque permittant omnibus, vt corpora ad requiem humeris amicorum ferantur, neque auxilio militari tuendum ſit, vt et digna, et quieta ſepultura foret. Immo vero in hac rerum calamitate non adeo inſolens atque inauditum eſt, vt, ſi qui vir probus et praeclarus, ſed ad amores intentus atque mulieribus deuinctus ſuauiter ceciderit, in vrbe ſermonum auida et honos mortui, et fama bona proſcindatur. Hunc enim exercitae militiae finem, hanc laborum requiem, hoc certaminis ingentis ornamentum ſtre-

nui

nui milites VENERIS femper habuerunt, neque Q. CALVO VENEREO hae poft fata iniuriae et calumniae defuerunt.

At vero ille qualis quantusque vir fuit, quantis ornatus nafcentiae, corporis, ingenii animique dotibus! Nam fi haud vltima felicitatis humanae pars dicendus eft natalium fplendor, quo via panditur ad praeclaram inftitutionem et ad honores in republica fummos capeffendos, certe hunc virum clariffimum, cuius reliquias luctuofis oculis adfpicimus, prae ceteris felicem, beatum fortunatumque putemus oportet. Eft enim ille numinis beneficio genitus illuftribus atauis, habet antiqua et fplendida ftemmata, oftendit in atrio fumofas maiorum imagines, quibus excelfi animi iuvenes ad magna facinora concitantur, fplendet et ipfe meritis nunquam interituris. Expertus etiam ille eft naturam fautricem in tribuendis ingenii dotibus, vfus eft puer et adolefcens optimis ac doctis magiftris, profectus eft iuuenis ad celeberrimas Athenas,

nas, vt literarum ſtudiis et ingenii cultura dignus patria ciuis, acquiſita doctrina muneribus publicis aptus, ingenuitate praeſtantiaque animi amicis carus, morum elegantia et ſermonis ſuauitate placens mulieribus eſſe crederetur. Inuiſit etiam atque ſpectauit varias terras et vrbes, vt hominum venuſtiorum ſenſa, ſtudia, inclinationes, inſtituta et conuentus elegantes probe perſpiceret, et quid ſibi, quid patriae, quid ciuibus, quid bonis omnibus in quocunque vitae curſu et ſtadio debeatur, probe intelligeret.

Talis cum eſſet Q. Calvvs Venerevs, non profecto mirum eſt A. cum et in toga, et in ſago fuiſſe prae aliis clarum, meritis grauem, munerum publicorum amplitudine praeſtantem, at vero homini ſuauiſſimo breui diſplicuit militia togata, quam iuuenis laudabili ſtudio inierat. Haec enim etiamſi reipublicae ſingulorumque ciuium ſaluti proſit plurimum, tamen fere ſine teſtibus publicisque praeconibus meritorum memo-

memoria tacite transmittitur, malis auſpiciis, lento et difficili gradu itur ad ciuilia munera, perraro emergunt optima ingenia, quorum virtutibus obſtat res anguſta, quibus deſunt patroni, fautores, maecenates. Sola ſupereſt militia armata, quae ciuibus honores eximios, dignitates ſplendidas et famam maximam praebeat, quae per varios fortunae caſus, per lucida vitae mortisque diſcrimina ducat ad ſumma rerum faſtigia, ad praemia laborum iuſta, honeſta et excelſa, ad perpetua nominis praeſidia et ornamenta. Placet in paludatis ſcientia rei militaris, caeli grauis laborumque tolerantia, imperterritus in periculis animus, audacia, prudentia, conſtantia, at vero Q. CALVVS VENEREVS has praeclaras animi corporisque dotes ita probauit imperatoribus, vt nunquam e proeliis pedem referret, niſi claſſico dato, vt hoſtium telis ſe primus omnium obiiceret, vt ſecuros a tergo et latere audacter inuaderet, laſſos perpetuo laceſſeret, vini epularumque plenos ſubito opprimeret, vt praeda ſpoliisque onuſtos dimitteret nudos, iner-

inermes grauiterque vulneratos. Sic gnaviter pugnando per varios officiorum honorumque militarium gradus processit, sic, cum tribunus militum ad vrbem acerrime dimicaret, equis binis confossis, ipse vulneribus multis, sed honorificis pectore adverso notatus, in terram praeceps cecidit, morti foedae proximus, nisi amicorum armis tectus ex acerrima pugna esset propere in vrbem elatus.

Is vero non tantum fortem ac strenuum egit militem, sed et hominem petulantem, iniuriosum, luxuriosum, lasciuum et violentum aduersus plurimos se praebuit. Nostis enim A. militum ingenia, studia, mores et peccandi licentiam, nostis et illud poetae,

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus, ibi fas, vbi maxima merces,
Aere merent paruo —
Praedaque et hostiles luxum suasere rapinae.

Historia duce ac magistra, impune licent omnia militibus pro vrbe, pro patria, pro lege certantibus, indulgent sibi suoque genio,

nio, ne inoſſicioſi et inulti moriantur. Squalent fauces puluere ac ſiti, ſed adſunt vaſa ciuium vinaria, quibus ſe ad libidinem, ad ſatietatem et luxuriam recreare poſſint, premuntur itinere feſſi fame multa, ſed proſtant cellae hoſpitum penariae, quibus pro lubitu et petulantia vtantur, pruriunt turpi venere, at vero non deſunt mulieres multorum virorum amoribus famoſae, non pellices laſciuiis clarae, quarum corporibus inſueſcant, non puellae nubiles caſtaeque matronae, quas inuitas ſtupro violento proſtituant atque infament, egent rebus variis ad corpus tuendum et ornandum neceſſariis, ſed cedunt minis trucibus et verbis acerbis omnia, quae ad duritiem operum leniendam ſint valitura. Haec enim vitae communis bona, hae ciuium poſſeſſiones legibus tutae, integrae et intemeratae iure belli in alienam poteſtatem et vſuram veniunt.

Quae ſi certa, et vera, et omnium temporum ac ſeculorum exemplis abunde teſta-

testata, confirmata quasique sacra sunt, nolite mirari, A. quod Q. CALVVS VENEREVS se similem commilitonibus, se aptum bello se dignum gloria militari vbique praestiterit, quod, quae deceant bellicosum et expertum virum, lasciue, strenue ac satis ingeniose exercuerit. In hoc enim et natura, et exemplum, et vsus plurimum valuit, in hoc quaedam animi vehementia et linguae intemperantia ita eminuit, vt vel leuissimo verbo laesus ad iram, ab ira ad vim et iniurias, ab iniuriis ad immoderatam rabiem procederet. Hac enim impotentia animi abreptus ciues bonos loro, fuste ac gladio conuerberauit, vt seruos, effregit postes, diripuit priuatorum domos, si e re sua vel voluntate esse videbatur, vastauit sub specie officii rusticorum horrea, ne hosti superesset frumentorum copia, fecitque nocendi studio multa, quae, cum ipse resipuerit, infecta esse cuperet.

Sed quid refert pluribus ea facinora numerare, quae fere sunt multitudini pro-

pria

pria et communia, et longis abhinc feculis habentur pacta, conuenta, licita? Superest longe maior Q. CALVI VENEREI honos et gloria, multo illustrior nominis claritas, quae non tempori, non licentiae populari, non fortunae malignitati debentur, fed varia natura, formae pulcritudine, affabilitate, adulatione, delicata quadam morum mollitie ac fuauitate, cum primis fauore mulierum praecipuo, comparantur. At vero hac in arte amandi ludicra ille fuit peregregius histrio verusque Roscius. Meruit ille per annos multos vegetus et probatus, auxit amoribus crebris stipendii angustiam, vixit inter ganeam, pocula et stupra celebris adulter, interfuit loco cuique nocturnis illecebris claro, dedit ac fumfit lasciua oscula et praenuncias flagitii blanditias, non respuit venerem ad solatium datam, non spreuit difcubitum inter conuiuas turpem, non deprecatus est noctes licentia meretricia peragendas. O felicem hominem ad dulcissima mulierum feruitia natum. O magnum ex vtraque militia Caesarem! O virum prae ceteris dignum,

dignum, cuius effigies, vt alia numinum fimulacra, in aede VENERIS fplendeat!

Sed reftant alia, eaque nobiliora militiae ftrenuae documenta. Placent A. tironi et veterano militi dulces venerum lufus, placent rifus et ioci puellarum lepidi, placent fuauia mulierum et furtiui amores, vt leuia militiae lenocinia, placent omnibus pofita in campo venereo tirocinia, fed qui talia curant, tentant et audent, hos etiam cum maxime decet, vt lubricas VENERIS vias experiantur, vt incerta pugnae pericula fubeant, vt graues clandeftini amoris infidias blande fuperent, vt libidines varias offerant iterumque patiantur, vt vulnera mutua infligant atque recipiant, vt tandem aliquando poft proelia multa mutilo et truncato corpore inhabiles minifterio ac rude donati ad patrios lares redeant. At vero idem fatum lepidum et illaetabile manfit Q. CALVVM VENEREVM, cedentem amoribus nemini, parem militia nuda omnibus, fuperiorem fiducia virium fuperba plurimis: Magna

enim

enim eius meritorum fama, ſumma mulierum de eo erat opinio. Militauit ille ſtrenue, vt virum fortem et imperterritum decet, ſed ex ſingulari pugna ſaepe victor diſceſſit, magna laſciuiarum diſcrimina imprudens adiit, ſed leui vulnere tactus ad ſigna et caſtra cum plauſu amicorum rediit, clam amauit et iniit omnes ſine delectu feminas, ſed, eheu! malas congreſſus notas et illita dolis tela, vt triſtia ſpolia, iterum iterumque reportauit. Quas hinc in corpore cruces, quos dolores acerbos tulerit, quas foeditates cutis ab amore falſo retulerit, quas torturas et ſupplicia chirurgorum multo cum gemitu per annos ſuſtinuerit, quantam virium et numorum iacturam ex medicorum inſcitia habuerit, vix mente concipi, vix verbis exprimi poteſt. Intuta et maleuolens VENERIS furtiuae vſura eſt, A. varia ſunt et formidabilia CVPIDINIS tela, turpia reſtant virtutis praemia et trophaea, ſed haec membrorum probra nepotulis venereis multae laudi ſunt, haec inſolita corporis ornamenta ioculariter verbis ac verſibus canunt, has no-

tas

tas oris cenforias fcommatis ludicris excipiunt atque extollunt in conuiuiis.

O quam durum eft A. triftes memorare cafus et clades flebiles, quas Q. CALVVS VENEREVS pugnando fubiit, fuftinuit, tolerauit, fuperauit! Saepe enim mentula tacta prauas lafciuiarum nugas plorauit, faepe partem eam, qua erat vir ftrenuus, foedis puftulis, tuberculis et carbunculis tentatam, faepe liquoris obfceni vias reclufas medicis obtulit, faepe inguen dono VENERIS, incredibile, quantum intumuit, faepe pars occulta rhagades madidas et mariscas fluentes habuit, faepe tulit corpore fuo fplendida diuae infignia, maculas fufcas, puftulas egregie purulentas et ferpentes, verrucas duras, furfura ficca, ore cancrum turpem, faucibus vuam exulcerantem, et omnium maxime fuperbam fcabiem, faepe ingemuit ad nocturnos offium dolores, faepe deuouit VENERI cephalalgiam infandam, rheumatifmum membra fodientem et arthritidem vagam, faepe malorum

peffi-

peſſimorum pertaeſus et feſſus morbis implorauit crudele medicorum auxilium, vt tandem aliquando ſaluus et miſeriarum liber euaderet, ſaepe guaiaci liquore perfuſus et totus mercurialis fuit gingiua tumida, ſaliua foeda, dente mobili, anima foetida, ſed, reddita ſalute, otioque laborum aliquantiſper conceſſo, ad amores veteres, ad vetita et intuta gaudia rediit. O quam vana ſunt hominum ſuſpiria et lamenta, o quam falſae amantium lacrumae, quam irritae voces, dirae, execrationes, quam imbecilla et ſtulta venereorum vota! Nulla ſalus bello VENERIS, nulla quies animo feruido et in amores turpes prono, nullus cupiditatum libidinumque finis eſt, placet ſua cuique voluptas, vident illi meliora et probant, et tamen deteriora ſequuntur.

Tandem A. iſte amandi furor, iſta praeceps amorum rabies, iſta inconſiderata mulierum confectatio Q. CALVVM VENEREVM, virum poſt fata deſideratiſſimum, ante tempus naturae praeſtitutum perdidit, flebilique neci tradidit, ſed nec

ſingula mala percenſere animus eſt, nec ſauor et luctus nobis talia effari permittit. Inſpicite iſthoc corpus pallidum, inquirite formam eius et habitum, iudicate de foeda boni viri pernicie. O quam deforme achoribus ac gummatibus lepidum caput, quam nudus capillis vertex eſt! O quam putida frons carie, o quam cornuta tubere oſſeo! O quam toruus oculus leucomate tectus, quam turpis naſus oſſe collapſo et prima parte trunco eſt! O quam membra olim valida, iam lurida, carie corroſa, exeſa, deſtructa ſqualent! O quam foeda cutis ſcabie formicoſa, vlceroſa, cruſtoſa, quanta oris decoloratio et puſtularum turpitudo, quanta manuum ſcabrities, quanta partium occultarum mutilatio, quantus artuum fluentium marcor, quanta deletrix tabis lentae vis! Quo cum eſſet ſtatu corporis miſerrimo Q. Calvvs Venerevs, vltimo vitae momento proximus non, niſi rugoſam et turpiter collapſam cutim, malam maciem et ſummam virium demtionem in corpore contracto et ſqualido fecit reliquam.

Hoc-

Hos morbos triſtes A. luxuriae procacitas, libido aeſtuans et rei venereae impetus corpori lepidiſſimi hominis intulit, haec ſunt indigna Veneris decora et ornamenta, haec emeritae militiae praemia, haec virtutis amatoriae ſpolia. Ne credite in poſterum Veneri potenti, A. (incerta eius fides, infida eſt meritorum gloria) fugite eius blanditias et verba dulcia, (haec enim vulnere virus pernicioſum habent) fugite, ſi tuti, ſi ſalui, ſi valetudine integri eſſe cupitis, Veneris vulgiuagae amicos intimos, myſterii praeſides, caerimoniarum antiſtites, (praua et indigna homine liberali eſt iſta ſocietas) fugite ſpecioſa furtiui amoris lucra et fallacia formae lenocinia, (ſero enim redit actae vitae poenitentia) at vero ne bonam Q. Calvi Venerei memoriam ponite. Vixit ſibi ſuoque genio, feruidus animo, idoneus feminis, nimius rebus proſperis, meruit infinita venerum ſtipendia, ſed ex diuae caſtris indignas meriti notas retulit, meliori tamen fato dignus. Vixit fauens ſuis, vixit carus amicis, vixit gra-

gratus patriae, vixit plenus gratiis, meritis atque honoribus, deditque moriens vobis ac posteris exemplum praeclarissimum, quam vanae et lubricae, quam variae et inconstantes, quam dolosae sint VENERIS dominae deliciae.

Tu vero, Q. CALVE VENEREE, qui tuos pateris manes, libens accipe nostra vota! Si qua tibi viuorum et rerum nostrarum memoria superest, nostri ne meminisse desine, si quis tibi nostri doloris post fata sensus est, noli amicorum deesse luctibus, planctibus, desideriis, si quid valet lacrumarum vis et honorum significatio, si sua iura sunt inferis, noli flores purpureos et rosas sparsas, noli thura, coronas et lucernas ardentes in sepulcro positas, noli nomina iuncta spernere. Iam vero have, pia anima, sit tibi terra leuis, sis molli tectus arena!